

Joan. Jerof.

Veteres Carmelitarum ab Apostolis baptizati.

Illorum studium in Deiparam.

Joan. Jerof.

Capella à Carmelitis in Carmelo edificata.

Richardus Radulphus.

Carmelitarum pietas vetusta & eximia in sanctam Deiparam Conceptionem.

1669 Porro Joannes idem eodem capite 32. de eadem Eliæ traditione ab Eliano Carmelitarum Ordine semper retenta sic loquitur: Professores hujus Religionis fuerunt per Apostolos baptizati, & in sacri Evangelii eloquiis eruditi: & intellexerunt planè, illud mysterium esse impletum, quod per Deum fuerat Propheta Eliæ in monte Carmelo revelatum. Contemplantes etiam ipsi hæc omnia postmodum fuisse adimpleta, & genus humanum per hanc Virginem accepisse à Filio Dei desideratum eis pluvia (id est gratia divina) beneficium, curaverunt cum devotione assidue deservire huic Virgini dudum eorum professoribus revelata, ac desiderata, & postea eis exhibitæ. Et studuerunt hanc specialiter Virginem idè sibi patronam eligere, quia noverunt ipsam solam singulariter eis conformem in primitiis virginis spontaneæ. Ecce Deiparæ sanctissimæ cultum jam inde ab Eliæ inter ipsius discipulos conservatum: ecce Marianæ immunitatis doctrinam, quam Eliæ, atque Carmelitana ejus familia ferè amplexabatur, ab ipsis tunc Apostolis probatam, & confirmatam. Ecce qua ratione, vel ab Eliæ temporibus, magna Dei mater in Eliano Ordine fuerit exaltata, unà cum suo Filio.

1670 Addit præterea Jerosolymitanus Antistes capite 36. In memoriam visionis de ortu hujus Virginis præostense sancto Propheta Eliæ sub specie Nubeculae ascendente de mari in Carmelum; Monachi prædicti anno Incarnationis Filii Dei octogesimo tertio diruentes eorum Sanaion antiquum, edificaverunt huic primæ Virgini Deo dicatæ Capellam quamdam in monte Carmeli, juxta fontem Eliæ, in ritu illo, in quo Eliæ orans viderat nubeculam illam. Ubi professores prædicti seipfos Virgini commendantes singulis diebus in septem horis canonicis ad effundendum dictæ Virgini, & ejus Filio sedulas preces, supplicationes, atque laudes etiam tunc semper convenerunt. Et propterea ceteri etiam ab eorum religione externi, eos deinceps fratres B. Mariæ V. de monte Carmeli semper appellaverunt. Nobile profectò immaculatæ Virginis monumentum, Templum nimirum in Deiparæ gloriam, mundissimamque immunitatem ab Apostolicis ipsis temporibus per Carmelitanos Eliæ Monachos erectum. Eiusdem Historiæ meminit Anno Domini 130. antiquissimus Auctor Josephus Antiochenus in speculo perfectæ militiæ primitivæ Ecclesiæ capite 12. cujus verba infra donabimus numero 1682. Vide quæ de hujus, aliorumque Templorum antiquitate, quæ id temporum Deiparæ consecrata leguntur, eruditè scribit Ferreolus Loerius libro 4. Mariæ Augustæ capite 2. & libro 3. cap. 17.

1671 Adde aliud non minus illustre Carmelitarum pro Deiparæ gloria, Marianaque immunitate testimonium, quod gravis Auctor Richardus Radulphus Archiepisc. Armacani, totius Hybernæ Primas profert in Serm. de immacul. Virginis Conceptione, cujus hæc verba recitat Joannes Barubius libro contra æmulos Ordinis Carmelitarum, Paleonidorus libro 1. Trimerici capite 1. & Waldensis de Sacramentalibus Titulo 9. capite 89. An non meritò dicemus illi, Ave, quæ sic erat illustrata virtutibus in sua Origine? Utique hanc illustrationem in suo ortu hic sanctus, ac peculiaris, & antiquus Ordo suus

Carmelitarum præcendit in Habitu, qui hoc Festum ipsius Conceptionis singulariter solemnizat, candorem habitus sui, ut existimo, prudenter, & devotè referens ad hoc Festum. Sic ille existimat; neque vana quidem existimatio; cum enim ab antiquissimis Gentis incunabulis cum Eliana simul Familia gloriæ Marianæ, & immunitatis illius Traditio concreverit, eaque fuerit prima Carmelitarum gloria, prudentis certè judicii est, existimare, candidum Carmelitarum Pallium purissimæ, & candidissimæ Virginis immunitati significandæ fuisse institutum. Nec longè abest Trithemius Abbas, acerrimus Carmeliticæ antiquitatis vindex, qui libro 1. de Ordine Carmelitarum capite 7. scribit, candorem hujus Pallii exprimere mundiciam, ac puritatem Deiparæ, quam amantissimam Patronam clientes Carmelitæ & moribus, & habitu referre gestiunt.

1672 Nec verò novum id est, atque insolens inter eos Ordines, qui sub Sanctissimæ Virginis nomine conditi, & consecrati sunt. Certè illi præ cæteris duo, virum alter, alteræ feminarum, qui sub Marianæ Conceptionis auspiciis apud Hispanos instituti sunt; nempe Ordo sanctæ Mariæ de Mercede, & Ordo Conceptionis, ipsissimo sacri Habitus candore Deiparæ immunitatem à prima Gentis institutione protestantur. Nec me latet, quosdam & Carmelitanæ antiquitati minus deferre, & Pallii candorem non ante Innocentii IV. tempora agnoscere. Verùm hos graves ac doctos alioqui viros mox audiemus: interim noster est sanctus Epiphanius vetustissimus Auctor, atque locupletissimus, qui in Historia de Prophetarum vita, & interitu, dum Eliæ vitam describit, hanc ipsius Parentibus prospectam visionem memorat. Quem cum inviteretur Parens ejus ejusmodi Sabac Patri visio apparuit. Viri niveum quandam præ se ferentes habitum, pusionem salubant, matrisque uberibus in ignem alluebant. Divinus ignis pueri prædicebat indolem in Dei gloriam exarsuram, niveus verò hospium vestitus & ipse propheticus erat, tanti pusionis candidatam inuens posteritatem. Sed Elianum hoc Pallium postmodum explicabimus: satis hoc loco habuimus prescium ejus candorem ad gloriam Deiparæ purè conceptæ retulisse ut sic gloriòse exaltata vel in ipso Carmelitarum habitu appareat.

1673 Paleonidorus lib. 3. Trimerici de antiquitate & sanctimonia Heremitarum montis Carmeli capite 10. testatur, Ordinem Carmelitarum anno Domini 1306. in Generalibus Comitibus Tholosæ celebratis sanxisse, ut festum Conceptionis Beatæ Mariæ solemniter celebraretur. Nempe & antiqua Ordinis celebritas confirmata & majori aucta est solemnitate. Inde Joannes Baconus ejusdem Carmeli gravis inter primos Theologus libro 4. sentent. Distinct. 1. quæstio. 4. articulo 3. asserit in Romano Carmelitarum templo jam olim Conceptionis Festum publica, & diuturna consuetudine peragi consuevisse; additque, eam ipsam publicam, ut vocat, & diuturnam consuetudinem à plerisque summis Pontificibus superioribus retrò temporibus habitam fuisse. Quæ quidem antiquitatem hujus Traditionis, auctoritatemque maximè commendant, cum ante annos 300. scribens Baconus asserat tunc pro diuturna celebritate

Candido suo pallio idè stantur.

Prospècta visio ab Eliæ Parentibus.

Carmelitanis semper invidiis Marianæ Conceptionis defensoribus.

britate fuisse habitam. Rursus in Gallia, immaculatæ Conceptionis invictos defensores Carmelitas fuisse, cum sedes Apostolica apud Gallos staret, hoc est, ante annos 300. scribit Sylvestranus Brenzonus in libro 3. sententiarum lectione 15. Quibus omnibus apprimè concinit Ritualis Carmelitarum liber, in quo cum Conceptionis officium extet, hanc etiam legere licet inscriptionem: Juxta veteris, & approbatam Jerosolymitana Ecclesiæ consuetudinem: quibus verbis ad antiquissimam Traditionem Festum Conceptionis referri constat. Adde quæ in ejusdem Felicitationem Nicolai V. summus Pontifex edixit, singulari Bulla recitata ab Augustino Suario libro de Carmelitarum Statutis. Restituendus autem est ad Bullæ calcem annus 1453. loco anni 1477. qui per errorem irreperat; cum Nicolaus federet anno 1447. obiit verò 1455. Bullamque illam expedierit anno 6. Pontificatus. Hinc etiam spectabant doctissimorum Carmelitarum volumina in Conceptionis Marianæ laudem; sed recitare omittimus ne in grandem molem nostrum opus assurgat.

1674 Igitur ex hæcenus dictis claret, quàm gloriòse fuerint in Eliana Carmelitarum Familia, vel ab Eliæ temporibus, exaltati Christus, & Deipara. Utique sicut Cedrus in Galad, parte Libani nobilissima. Si verò Cedri dotes supra memoratas expendas, facile tibi erit gloriòse Jesu & Mariæ exaltationi in hoc Eliano Ordine adaptare. Signam pro immaculatæ Virginis Conceptione, quæ mihi cordi est, nonnullos audi sacros expofitores, Ecclesiastici verba ad rem prementes, & illustrantes. Hugo Institutio. Monasticæ Sermone 47. Cedrus, inquit, arbor est Libani alta, & valde impuribilis. Rectè igitur Dei Genitrix arbor Libani fuit, quia de seculo presentis carnis originem habuit, sed ipsius Libani altitudinem se ad alta surrigens excessit, quia cunctam mundi gloriam suarum sublimitate virtutum inestimabiliter transcendit. Quæ incorruptibilis quoque fuit dum Virgo incorrupta permanens Mater exiit. Bene denique se sicut Cedrum exaltatam dixit, dum inviolata semper existens & primum per gratiam, & postmodum per gloriam præ omnibus creaturis se sublimatam vidit.

1675 Jacobus Valentia in Cedro serpentes fugante intelligit Virginis animam à primo serpente & peccato originali immunem, expositione in Cantic. 4. folio 475. Sed in Cantic. 2. folio 466. littera ita P. scribit: Cedrus est arbor altissime crevit in Libano, & est arbor valde odorifera, & omnis veneni fugitiva, & idè in monte Libano, & ubicunque crescit illa arbor, nullus potest vivere serpens, nec vipera, nec animal venenosum. Per quod signum figurabatur anima Cedrina Virginis Mariæ. Hanc enim animam Filius Dei creavit, & in creando & gratificando in carnem jam primò sanctificatam, & mundatam à fomite Adæ, infudit. Et idè antiquus serpens non potuit ipsam mordere, nec suo originali veneno inficere. Consonat Honorius Augustodunensis Presbyter Serm. de Nativ. Virginis, anno Domini 1120. Hæc cedro comparatur, quæ nimis multiplicatur, à qua putredinis & vermium corruptela fugatur. Ita hæc Virgo erat in virtutibus dilatata, ut Cedrus multiplicata, quæ non sensit corruptionem P. Ildeph. de Flores in Eccles.

putredinis, per quam fugantur Dæmones, vermes eterne damnationis. Similiter Dionysius Richeius Ecclesiastici 24. articulo 25. Sicut Cedrus in Libano elevatur crescendo in altum, & dulciter redolet, impuribilisque consistit: Sic ego à populo Christi fideli, præ cunctis puris creaturis devotè honoror, sublimiter color, dulcia (hyperdulcia) cultu, & cunctis sum dulcis, atque ab omni corruptione culpa, & reprehensibilitatis penitus aliena. Videtis sanctum Hieronymum in Sermone de Assumptione, sanctum Ildephonsum Sermone 1. de eadem solemnitate, sanctum Bernardum Sermone 3. in Salve.

Solvuntur dubia de Carmelitarum antiquitate: ubi de Joanne Jerosolymitano ejus scriptore.

1676 Eminentiſſimus D. Cardinalis Bellarminus à nostra Societate inter Doctorum Summates meritò numerandus, in libro de scriptoribus Ecclesiasticis nume. 390. minimè adducitur ut credat, Joannem 44. Auctorem esse hujus libri de Institutione Monachorum ad Caprasium, qui habetur in Bibliotheca Veterum Patrum Tom. 9. Quod si verum est, tota corrumpit Carmelitana gloria, quam commendamus. Dubitandi porro duplex est ratio. Prima quia in eo libro dicit Auctor se esse Ordinis Carmelitarum Religiosorum, quorum describit habitum; at illis temporibus nomen Carmelitarum Religiosorum erat planè inauditum; ut etiam Cardinalis Baronius asserit Tom. 6. Annal. ad annum 444. Adde secundò, quòd stylus est hominis Latini, & temporum posteriorum. Itaque hic liber scriptus videtur ab alio longè posteriore. Moveret me quidem tanti Patris dignitas, & auctoritas, cujus tam digna laus est per universam Dei Ecclesiam, nisi in diversum me cogeret firmiora (ut reor) argumenta, quæ tamen omnia sapientissimorum virorum gravi admodum judicio expendenda subijcio.

1. Quia Carmelitarum Traditio Auctorem hujus libri agnoscit prædictum Joannem Patriarcham. Constat id ex Speculo Carmelitarum lib. 8. c. 1. Atque Ecclesiastici Religiosissimi, & doctissimi Ordinis Traditionibus non ausim refragari, maximè cum videam eruditissimos Carmelitas, quos mox appellabo, pro hac traditione acriter pugnare.

1677. 2. Quia gravissimi Scriptores nihil repugnant; imò illius libri eundem Joannem Auctorem asserunt. Cyrillus Constantinopolitanus Epistolâ ad Joachimum, cujus quidem auctoritas hæc in re magna habenda, utpote qui trigesimo anno floruerit, postquam Aymericus ex Græco Latinum fecit hunc librum Joannis, & in compendium contraxit, ex eoque Carmelitis breviorum Regulam concinnavit, quam Innocentius IV. confirmavit, ut ex antiquis Carmelitarum tabulariis constat. Itaque Cyrillus Constantinopolitanus locuples testis habendus, ut qui ea consecutus sit tempora, quibus apud Carmelitas Joannis 44. liber pro Regula ejusdem Joannis nomine inscripta habebatur. Eundem librum eidem tribuunt Joanni Richardus Radulphus Archiepisc. in Serm. de Conceptione Deiparæ, Waldensis de Sacramentalibus titulo 9. capite 89. Trithemius libro 2. de

Cedri dotes pro pura Deiparæ Conceptione.

Hugo.

Jacob. Valentia.

Honorius.

Richeius.

Bellarminus.

Duplex obiectio.

Baronius.

Solvuntur ab- undè.

Ex traditione.

Ex multâ auctoritate.



de illustribus viris Ordinis Carmelitarum, *Paleonidorus* libro 2. de Antiquitate Eremitarum montis Carmeli capite 6. & 7. *Beuxamis* libro contra Hagiomachos Classe 4. *Emanuel Rodericus* Tom. 1. Quæstionum Regularium q. 1. articulo 5. *Morigia* libro 1. de Origine Religiosorum capite 30. *Mantuanus* in Apologia pro Carmelitis, *Tapia* in Authentica in *Ingressi*, verbo *Monasteria*, capite 17. *Thomas Jesu* in Regulam Carmelitarum Parte 1. capite 1. & 2. *Jodocus Coccius* l. 3. *Theauri Catholici*, *Nicolaus Bertrandus* libro de gestis Tholosanis, & plerique alii. Item è nostra societate haud vulgaris notæ Scriptores, *P. Gregor. Valencia* 2. 2. Disput. 10. q. 4. puncto 1. *Sanctus Antonius Posssevinus* in Apparatu sacro in Joanne Jerosolymitano. Vide etiam verbo *Carmelitana familia*. *Hieronimus Plati* libro 2. de bono status Religiosi cap. 22. *Joannes Bonifacius* lib. 4. Historiæ Virginis cap. 14. scilicet recognoscens quæ dixerat libro 2. capite 1. *Jacobus Saliarius* Tom. 4. Sacro. Annal. ad ann. Mundi 3123. num. 6. Sed quoniam ex dubiorum explicatione, ejusdem libri auctoritas commendatur, pergamus porrò & styli Latini rationem reddere, & antiquitatem Carmelitarum explorare, & Joannis demum doctrinam, moreque discutere.

1678. 3. Neque stylus quidem obstat, quominus liber à Joanne fuerit conscriptus. Quod enim apponitur, *stylus esse hominis Latini*, & temporum posteriorum, verum omnino sit utrumque; nam librum Græcè primùm ab Auctore Joanne conscriptum, ex Græco Latino reddidit *Americus Patriarcha Antiochenus* anno 1121. ut tradunt *Posssevinus* in apparatu, & *Paleonidorus* lib. 3. Trimerici capite 1. & alii. Atque ex Latini Interpretis stylo non videtur firmum peti posse argumentum, cum Interpretis dictio haud adstricta sit exemplari; imò salva etiam interpretationis fide Hellenismum sæpè dissimulet. Quamvis, ut verum fatear, Latina interpretatio libri de Institut. Monachor. ad Caprasium, non aded aut Latini simulat, aut Græcum dissimulat, ut non sæpè tinniat Hellenismum, atque aded Græci scriptoris factum facile prodat. Ergo argumentum à stylo Latino haud probat contra Græcum Joannis exemplar.

1679. 4. Neque verò Carmelitarum nomen, aut Habitus, quibus tantam hic liber defert antiquitatem, officiant, quominus Auctori eidem Joanni possit adscribi. Etenim Eliam Familiam in Carmelo ortam ab ipso Elia Vate exordium meritò repetere, atque per diversas graduum mutationes, & incrementa ad præsentem statum pervenisse, tot ac tanta confirmant antiqua monumenta, ut non sine Carmelitici Ordinis, imò antiquitatis injuria negari possit. Diversos autem hujus sacri Ordinis gradus multi observant, ut varios ejusdem status significant, per quos Carmelitana Religio ad hanc, quam perspicimus, amplitudinis gloriam conscendit. Neque enim eadem Ordinis forma ab Elia extitit usque ad Apostolica tempora, quæ ab Apostolis ad Pontificem Alexandrum III. & quæ ab Alexandro, seu Innocentio III. seu Honorio III. ad hanc usque ætatem permansit. Agnoscunt & ipsi Carmelitæ hanc statuum varietatem, quæ tamen

non sufficit, ut hæreditariam ab Elia successionem amississe dicantur. Scilicet varios Republicæ status experta Urbs sub Regibus, sub Consulibus, sub Imperatoribus, qui tamen Romanam illam à Conditor Romulo successionem minimè abruptunt. Sed verò continuam illam ab Elia successionem per hanc graduum diversitatem ductam haud gravabor ex antiquis monumentis demonstrare, non tam ut Carmelitis gratificer (etsi id velim) quam ut veritati ipsi consulam.

1680 Sixtus IV. Pontifex Maximus in Bulla, quæ incipit, *Cum attentâ meditatione pensamus*, quæ est 37. inter Bullas ejusdem Pontificis, quas retulit *Emanuel Rodericus* in collectione Privilegiorum Regularium: & in Bulla 38. quæ incipit, *Dum attentâ meditatione pensamus*. Et in confirmatione Indulgentiarum Carmelitici Ordinis, sic de illius edicti antiquitate: *Sanctorum Prophetarum Elia, & Elisei, & aliorum Patrum, qui montem sanctum Carmeli, juxta Elia fontem inhabitaverunt, successionem hæreditariam tenentes*. Refert *Paleonidorus* lib. 2. cap. 2. Eademque tribuunt Carmelitarum Annales summis Pontificibus Joanni XXII. & Alexandro V. Item Julio III. Gregorio XIII. & Sixto V. Et quidem vel unum ita scripsisse Pontificem suffecisset, ne dum tot, tamque doctissimos, ut nemo de veritate profus ambigeret. Sed quanto id merito affirmarint, operæ pretium erit judicare.

1681 Josephus Antiochenus lib. de perfecta militia primitivæ Ecclesiæ cap. 12. sic scribit: *Perfectorum militum Christi Apostolorum coadjutores surrexerunt viri strenuissimi solitarii, contemplationi dediti, SS. Prophetarum Elia, & Elisei sequaces, qui de monte Carmeli descendentes, per Galileam, Samariam & Palestinam fidem Christi constantissime sparserunt, quique in Virginis Mariæ honorem in Carmeli montis declivio fabricantes Oratorium Salvatoris Matri specialissimo servierunt*. Tantum ille, quem floruisse anno Dom. 130. scribit noster *Posssevinus* in Apparatu ex Philippo Riboto de Institutione, & peculiaribus gestis Religiosorum Carmelitarum. Eorundem meminit S. Cyrillus Alexandrinus lib. de Ortu B. Virginis Mariæ, quem Cælestino Pontifici dicavit; asserit enim *Emerentianam Deipara aviam* Eremitas Carmeli religionis ergò invisere consuevisse, ex eorumque consilio Stollano nupsisse. Quæ Cyrilus ex ipsius Carmeli monumentis excerptit. De libro autem Cyrilli videndus *Paleonidorus* in Trimerico l. 2. c. 7. & *Trithemius* in lib. de scriptoribus Ecclesiasticis.

1682 Addo *Hermian Sozomenum* Cyrillo etiam coævum; scripsit enim sub Theodosio juniore circa ann. D. 438. Is ergo lib. 3. Historiæ cap. 13. Tabinifotas Monachos Elia institutum, habitumque fuisse imitatos, his verbis describit: *Isti ad exemplum Elia Thebitis pellibus se induebant, ut singulis ex pelle corpori circumjecta, ut mihi quidem videtur, virtutem Propheta semper in memoria revocantes, &c.* Quæ observatum velim ab iis, qui vel Habitus, vel Elianorum Monachorum nomen recentia putant. *Nauclerus* volum. 2. Gener. 41. Anno 1215. sic loquitur: *Honorius IV. restituit albo Habitu eos in Europa excepti B. Mariæ sacros; quo titulo post Honorii IV. reformationem Carmelitæ usi sunt.* Joannes

*Hæreditaria ab Elia successio Carmelitani Ordinis probatur ex Pontificia auctoritate.*

*Ex probatis Auctoribus. Joseph. Antiochenus.*

*Sozomeni*

*Nauclerus.*

Joannes Trithemius lib. 1. de laudibus Carmelitarum cap. 6. ait; Carmelitas olim Eliam Patrem imitatos albo fuisse Habitu; Sarracenis verò Palæstinam occupantibus, eo fuisse prohibitos à Satrapis ejus gentis, quibus solis alba uti veste inter Sarracenos licebat. Itaque rejecto priori Habitu, cappas virgulatas sumptere, donec Terrâ sanctâ exacti, Europam ingressi, veterem Habitus album induerunt munditiæ, & puritatis Carmelitæ indicem. Sic ille è præcis Carmelitarum Tabulariis.

1683 Adnotam alia per ordinem diversi generis testimonia, ex quibus constat, singulis fermè sæculis Carmelitarum memoriam extitisse. *Luitprandus*, qui floruit anno D. 970. asserit in Chronico, Monasterium Agaliense ad Toletum, Regiam Hispaniæ Urbem, Carmelitarum fuisse, antequam Benedictinis adjudicaretur, ut ex eo refert noster *Franciscus Portocarrerus* libro de Descensu Deiparæ ad Templum Toletanum c. 8. Constat verò ante mille annos id Monasterium Benedictinis cessisse. Igitur antiquitatem millenariam vetustiorum retinent in Hispania Monachi Carmelitæ. Item Hispali, postquam ea Urbs exactis Arabibus ad Christianos rediit, dum novo substruendo ædificio alta efoderentur fundamenta, inter egerenda rudera, extrahendaque parietinas *Marmoream inventâ fuisse statuum Monachi Carmelitæ* eo loco à Gothorum imperio occlusam, testis est *Morgadus* l. 5. de Historia Hispalensi c. 13.

1684 Pisis Tuscis in veteri Epitaphio nomen Carmelitarum Monachorum legitur, Auctore Coriâ in suo Elucidario lib. 1. c. 25. Rursus ibidem refert Senæ apud Hæredes Alexandri Vannocei antiquissimum asservari librum, compendium nempe ejus Urbis Annalium, in quo ab Anno D. 797. extat *Carmelitarum memoria*. Deinde tempore Gregorii VII. circa annum 1100. edidit *Sigisbertus Gemblacensis* Historiam Jerosolymitanam, in qua sic scribit: *Cum Carmelita in sancta penitencia perseverasset à tempore SS. Elia, & Elisei Prophetarum, tandem Christum prædicantem audierunt. Qui Religiosi fidem catholicam consuetes in Christo baptizati sunt. Deinde perseverantes in doctrina Apostolorum, habentes gratiam ad omnem plebem, veritatis Evangelicæ multos fideles, & religionis Christianæ legitimi Confessores effecti sunt. Paulò post an. D. 1188. claruit Cyrillus Constantinopolitanus, qui integrum librum conscripsit ad Eusebium confratrem, in quo antiquissimam hanc ab Elia successionem asseruit; cuius verba refert *Paleonidorus* l. 3. Trimerici c. 9. An. 1272. & 1287. Duo Templariorum & S. Joannis in Jerusalem Generales Pontifici scripserunt Ordinem Carmelitarum ante omnem hominum memoriam apud Palæstinam fuisse, teste Waldensè de Sacramentalibus Titulo 9. cap. 89. Neque omittendum Academia Cantabrigiæ testimonium, quæ post longam disputationem decrevit, *Carmelitanorum nomen, Ordinemque antiquissimum fuisse*. Id verò Decretum à Gregorio XI. confirmatum fuisse, Auctor est *Thomas Jesu*, vir in Eliana familia doctrinâ ac pietate clarus in Regul. Carmeli parte 1. cap. 1.*

1685 Itaque singulis fermè sæculis factis locupletes hujus antiquitatis testes protulimus; ut liquidò constaret, quam meritò Summus Pontifex dixerit Carmelitas hæreditariam successionem ab Elia ipso possidere. Sed juvat ejusdem successionis plerisque testes, qui eam scriptis confirmarunt, conferim aggerere. Ac primum quidem ordinem jure sibi vendicant illi, qui rem seriò explorandam, atque ex instituto probandam susceperunt. Nempe *Cyrillus Constantinopolitanus*, *Guilhelmus Salmucus*, *Sybertus Becha*, *Philippus Ribotus*, *Joannes Grossus*, *Joannes Bacconus*, *Joannes Ciminetus*, *Joannes Vineta*, *Joannes Hildeshemus*, *Thomas Bradleus*, *Petrus Brunus*, *Arnoldus Bostius*, *Martinus Iralus*, *Joannes Gruelus*, *Joannes Malinis*, *Joannes Gouda*, qui hac de re singulares Tractatus condiderunt, & recensentur à *Paleonidoro Epistolâ ad Rumoldum*, quam *Trimerico* præfixit.

1686 Adde his haud plebeis notæ non paucos, qui per occasionem eandem Carmelitarum antiquitatem asseruerunt; *Burelum* libro in laudem Elia, *Onuphrium* in Chronico Ecclesiastico anno 1148. *Nauclerus* Tom. 2. Chronici, Generatione 41. *Genebrardus* l. 4. Chronograp. an. D. 1283. *Eratardum* in Fasciculo temporum an. Mundi 4300. & ann. Christi 450. & 1294. *Eysengrenum* Centuria 1. Historiæ Ecclesiasticæ, *Molanum* in Martyrologio Junii 17. *Galesium* 12. Januarii; *Joannem Alemanum* in Chronico l. 2. c. 67. *Alvarum Pelagium* l. 2. de Plantâ Ecclesiæ c. 23. *Renatum Chopinum* l. 2. Monasticon Titulo 1. n. 29. *Severinum Binium* in vita Honorii III. Tomo 3. Conciliorum p. 2. *Illescam* l. 5. c. 46. *Sanderum* l. 6. de visibili Monarchia an. D. 1265. n. 980. *Marquez* de Origine Eremitarum S. Augustini c. 14. §. 9. *Arnoldum Wionem* ligni vitæ p. 2. *Navarrum* de Horis Canonicis c. 1. n. 27. *Trithemium* lib. 2. de Miraculis B. Virginis de Urticeto cap. 13. præter eos, quos pro libro Joannis Patriarchæ supra nominavimus, *Richardum*, *Waldensem*, *Paleonidorum*, *Beuxamium*, *Manuelem*, *Morigiam*, *Tapiam*, *Bertrandum*, *Thomam*, *Valentiam*, *Posssevinum*, *Platum*, *Bonifacium*, *Salianum* loco citato, & anno Mundi 3127. n. 26. & de Habitu Carmelitarum anno M. 3138. nume. 48. & 3139. nume. 20. & 44. Adde & *Suarium* Tom. 3. de Religione lib. 2. c. 10. & *Gasparem Sanctium* in librum 3. Regum c. 17. n. 12.

1687 Hæc omnia tam illustria Carmelitæ antiquitatis testimonia cum præ oculis haberemus, nempe Summorum Pontificum oracula, Magnorum scriptorum responsa, Sepulchra, Epitaphia, Lapides, fumosas Imagines, Episcopos, Academias, ac denique densissimam gravissimorum testium nubem; haud consultum nobis videbatur, tantæ auctoritati refragari; illamvè ejusdem Carmelitici Ordinis venerabilem adjicere Traditionem; cum eadem licentiâ alias ejusdem notæ liceret aliorum Ordinum antiquare Traditiones. Ergo non valde meditato scriptum censemus à *Cæsare Baronio* Tom. 6. Annal. ad an. 444. cum S. Cyrilli Alexandrini Monacharum Carmelitanum rejiceret: *Flagrans quidem cupido nobilitatis avitæ cogit interdum homines delirare*. Non, inquam, consultò scriptum: neque enim tot Pontifices summi, neque tot summates viri omni eruditione cultissimi, præter unum *Baroniû*, delirasse aut

*Multis antequam Carmelitæ nomen.*

*Multis alii applaudentes Carmelitanorum antiquitati.*

*Summarum antiquitatum.*